



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Rotum vel Rodium, vulgo monachoru[m] Rotum, Münchsroth/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

7. *Georgius Ehrman*, Memmingensis, vir multis egregiis virtutibus conspicuus, eligitur anno 1543. Præsidet sapienter & utiliter hoc adhuc currente Jubileo. De cujus insignibus tale aliquando lusi epigramma:

*Per volat erecto Paradisum corpore alauda,  
In cuius rostro pendet arista grauis.*

*Verticibus volucris stellarum adjunctus aceruus,*

*Judice me, populum talia nempe monet.*

*Musicus & Phœbo & Musis charissimus, istis*

*Temporibus, farris castra laremq. regit.*

*Ille caput superi tollens ad limen olympi,*

*Ad caelos facilem querit & astra viam.*

*Id est,  
Roggen-  
burgum.*

**ROTUM** vel **Rodium**, vulgo monachorū **Rotum**, **Münchs-**  
**Rothly** / ad alterius cuiusdam **Dominarum Rodi** in **Ostro-**  
**francis** siti differentiam sic dictum, magnificum **Præmonstraten-**  
**sis** instituti cœnobium in **Suevia**, duobus milliaribus à **Memmin-**  
**giaco**, civitate **Imperiali**, in **Haslachii** & **Rotæ**, amœnissimorum  
**fluviolorum** medio concursu situm, quorum posterior millia-  
**re** supra **Rodum** ortus monasterium ipsum perfuit & ei nomen  
hoc fecit, postea assumpto **Haslachio Bonam Cellam monialium**  
**cœnobium** & **Aichstettum**, pagum **Friburgensium Nobilium**,  
præterfluens paululum supra **Ullmam Danubio** confuit: id, in-  
quam, **Rodum** fundatum legitur anno **Christi 1126**. à **Domina**  
**Hemma**, illustris **Baronis** & **Equitis aurati**, **Henrici** à **Wilden-**  
**weregk**, conjuge, ejus nimirum, qui in **Freudenburgo** arce habi-  
tasse legitur & ex ea excepit filios **Rhenigenum** & **Chunonem**,  
ejusdem cœnobii maximos benefactores, ut habet vetus **disti-**  
**chon**, quod facello capitulari inscriptum legitur:

*Fundatrice Hemma Rhenigenum credimus esse*

*Chunonemq. sator, chara hic cum matre sepultos.*

Habuit initio hoc cœnobium rectores etiam **Præpositos**,  
quorum omnium fere nomina intercederunt, præter **Reinhardi** **Berthol-**  
& alterius cuiusdam **Bertholdi**, cujus tale adhuc in templi quo-  
dam **dis.**

Bbb 2

dam pariete visitur monumentum ad beatam Virginem matrem:

*Hæc tibi dum vi reparatrix unica Mundi.*

*Solers constru me pœnis exue fun*

*Abbatum  
recensio.*

1. Abbatum nomina extant, sed nec illorum omnium: inter quos primum habemus *Odinonem*, hominem sanctæ & piæ conversationis, Dapiferum de Waldburg, sub quo tam potens tamq; magnificum fuit hoc cœnobium Rodense, ut aleret monachos supra ducentos: sorores vero (nam ordo Præmonstratensis utrumq; sexum antiquitus conjunctum habuit) admodum multas etiam, strenuissimam vitam agentes. Legitur is instituisse, & monachis è suo hoc cœnobio missis, implese quinque Ecclesias instituti Præmonstratensis, Wiltaviensem in Helvetiis, Lutrensem, vulgo Kheiferslautern dictam, Augiensem prope Ravensburgum sitam anno Dñi 1145. Steingadensem in Rhetis anno 1147. Martalensem ad Danubium anno 1170. ad preces Hugonis, Comitis Palatini Tubingensis, cui Odino in seculo adhuc constitutus serviverat. Obiit Abbas iste Odino anno Domini 1182. Successorum ipsius aliqui desiderantur, quorum nomina vetustas omnia absumens è memoria hominum abripuit.

*Wiltav.  
Lutra.  
Augia.  
Steingaden.  
Martal.*

2. *Eglolphus* de Lutrach præfuit Rhodano cœnobio anno 1356.

3. *Bertholdus* Abbas, in sacello D. Virginis ad introitum sepultus, successit Eglolpho: sed quamdiu ad clavum federit, ignoratur.

4. *Henricus*, è Martalensi monasterio assumptus, Cæsari Carolo IV. institit pro monasterii collapsi instauratione, cui præfuit per menses tantum 18. Bonus œconomus, & utilis monasterio futurus, si vixisset diutius.

5. *Martinus*, patria Martalensis, habetur pro secundo Rodensis monasterii fundatore. Collapsum enim & ad extremam inopiam redactum singulari prudentia & diligentia egregie instauravit. Fuit assumptus ex Martalensi conventu. Præfuit annis 30. & obiit anno Christi 1457.

6. *Geor-*

6. *Georgius ab Ickbenau* eligitur año Christi 1457. Præfuit 13. annis. Obiit anno Dominicæ incarnationis 1470. die 9. Octobr.
7. *Joannes Sigg Memming*, præfuit 3. annis. Obiit an. 1473.
8. *Henricus Gallinarius*, Lindaviensis, egregius œconomus & collector thesaurorum, eligitur anno Christi 1473. Præfuit 26. annis. Exiit facellum anno Domini 1483. in quo sepultus est, postquam obiit anno Christi 1499.
9. *Conradus Ehrman senior*, ex pago Zell natus, eligitur anno 1500. Fuit egregius extructor & amplificator cœnobii Rodensis, cui præfuit annis 20. quibus ædificavit majus templum, quod absolvit anno 1506. item facellum B. Virginis & Bibliothecam anno 1502. Obiit anno 1520.
10. *Joannes Laugingerus*, Biberacensis, ex rectore Ecclesiæ Steinbacensis in Abbatem eligitur anno Domini 1520. Præfuit 13. annis. Obiit anno salutis 1533.
11. *Conradus Ehrman junior*, & ipse Zellenfis, senioris Ehrmanni patruelis, artium Philosophiæ magister Friburgensis, eligitur anno Domini 1533. 2. Maij: præfuit laudabiliter 10. annis. Ædificare cœpit plurima, quæ postea à successore præclare absoluta sunt. Obiit anno Domini 1543. tricesima Januarii.
12. *Conradus Spleis*, Boustetanus, ex pago prope Biberacum sito natus, vir humanissimus, eligitur anno Christi 1543. 9. Febr. Exulavit anno 1547. apud Uberlingam propter crebras Schmaldici fœderis in monasterium factas irruptiones; restitutus vero est in vigilia trium Regum à Carolo V. Rom. Imper. in cujus gratiam tale à me de hoc cœnobio lusum est superioribus annis schœdasma:

*Hemma, potens Domina, Henrici pia & in chlyta conjux  
Wildenbergensis nati de gente Baronis,  
Auratiq; Equitis fama super æthera noti,  
Illa Dei stans veræ & pietatis amore  
Cum natis Chunone, Renigeroq; decoram  
Hanc dedit extructam præclaris sumtibus ædem,  
Christe Deus, matrisq; tuæ, charoq; Parenti  
Atq; Tibi, Præmonstratensis ut ordinis esset*

Bbb 3

Apt a

*Apta domus precibus, pietati & Religioni.*

*Hoc te Conradus Spleis, his ego in ædibus Abbas,*

*Scire volo, Lector, ne nostrignarus in it*


*Discedas. Tu pro nobis pia fata precare.*

*Hoc ipsum promittimus & nos mente paterna*

*Facturos pro te cunctisq; fidelibus orbis.*

Obiit in autumno anni 1549. in thermis.

13. *Vitus*, cognomento *Textor*, Wangensis, ex parcho Osterkirchensi Abbas factus est anno 1549. Præsidedet hoc adhuc corrente Jubileo.



**S**ALOMONIS VILLA, vulgo *Salmenswiler* / vel, ut aliqui volunt, *Alemanni villa* (etsi non ita antiquum sit, ut *Alemanni* nomen redolere possit) dictum, omnium monasteriorum Cisterciensis instituti in Germaniis facile pulcherrimum opulentissimumq; uno milliari ab *Uberlinga*, civitate Imperiali ad *Acronium* lacum condita, in ipsa vero *Suevia* situm: quod aliqui sic dictum existimant, quod ad templi Hierosolymitani similitudinem conditum sit, alii vero à *Salomone* pastore quodam, primam ibi cellam sibi in oratorium construente, nomen id ei inditum perhibere & affirmare audent. Id, inquam, amplissimum monachorum collegium (in quo hac etiam adhuc tempestate sexaginta inveniatis monachos) fundatum & locupletatum est sub *Innocentio II. Pont. Max.* & *Lothario Imper.* à *Guntheramo*, nobili ac opulentissimo Barone de *Adelsreutte*, Equite aurato, qui obiit anno Domini 1138. Hujus insignia fuerunt niger aries in rubea planitie. Consequutum est monasterium hoc maximas opes & facultates per diligentem ac prudentem œconomiae administrationem. Donatum tamen est etiam munificentissime à plurimis Imperatoribus, à *Conrado Suevo* videlicet anno Domini 1142. à *Friderico Barbarossa* anno Domini 1155. tandem etiam ab *Eberhardo*, vel, ut alii vocant, *Burckhardo*, *Salisburgenfi Archiepiscopo*, *Romanæ sedis legato*, qui honorifice in hoc cœnobio humatus, secundus ejusdem fundator & præ-

*Guntheramus,*  
*Baro.*

*Comites*  
*S. Montis.*